Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 977
Quelle:
Copyright:

IV. *fol.* 42. p. 2. *Incipit Alcuinus de ſancta Trinitate. Prefatio.* Hoc a ſecunda manu. Initium: *Domno glorioſo Karolo Imperatori auguſtiſſimo et chriſtianiſſimo humilis leuita alchuinus — Dum dignitas imperialis a deo ordinata* &c. Deſunt ad hujus *Praef.* calcem tria illa *Diſticha*, quae comparent in edit. Opp. *Ratisbon.* 1777. T. I. *Vol.* 2. p. 704. neque, ut ibi, ſequuntur *Libri III. de Fide SS. Trinitatis*, ſed Confeſſio *De Sancta Trinitate*, quae incipit: *Credimus Sanctam Trinitatem id eſt patrem et filium et ſpiritum ſanctum* &c. et habetur edit. *cit.* p. 738. ubi lege *Monitum Praevium.*

Confeſſionem excipiunt a ſecunda manu inſcriptae *Queſtiones Albini de ſancta trinitate.* Initium: *Deſiderantiſſimo filio fredegiſo ſalutem. Placuit prudentię ueſtrę fili cariſſime aliquas proponere* &c. Extant edit. *cit.* p. 739.

Sequitur item a ſecunda manu *Albinus de ratione anime Id eſt alcuinus vel alquinus.* Initium: *Cariſſimę in chriſti caritate ſorori eulalię uirgini. albinus in domino ſalutem. Sanctę ſollicitudini ueſtrę* &c. Adhaerent, ut in edit. *cit.* T. II. P. 1. p. 151. Carmen *elegiacum* et *adonium* cum *Litaniis.* In *Adonio*, ubi Edita legunt: *Haec pia verba — ore caveto* pro *teneto*, *ſervato*, ſuſpectum ſibi *caveto* in *canito* mutavit Librarius noſter deſtructo metro.

Poſt haec: *Incipit inſtructio alcuini magiſtri atque abbatis.* Initium: *Dilectiſſimo filio Uvitoni Comiti humilis leuita alcuinus ſalutem. Memor petitionis tuę. et promiſſionis meę* &c. Eſt Opuſculum *de Virtutibus et Vitiis*, quod inſertum eſt edit. *cit.* T. II. P. 1. ad p. 128. Hoc Opuſculum indicandum *Cod.* CCLXXIX. in praeſenti *Codice* conſequuntur Loca quaedam Biblica et PP. *de Confeſſione.*

Tandem ſuccedunt, quorum *Praefatio* tam multo ante praeceſſit, *Alcuini Libri III. de Trinitate* praemiſſis omnium Trium Elenchis, prout extant edit. *cit.* T. I. P. 3. p. 702. cui adornandae etiam hic *Codex* inſerviit cum aliis, ut habes in *Monito praev.* Ἀταξιαν, quae in eo regnat, Librariorum imperitiae adtribuere neceſſe eſt, quae per plura Exemplaria propagari potuit.

V. *fol.* 96. *Sermo Auguſtini Epiſcopi.* Initium: *Locutus eſt ad nos ſermo domini. et depromptus eſt ad exhortationem noſtram* &c. Inſcribitur alias *de Diſciplina Chriſtiana*, et legitur Opp. *Auguſt.* edit. *Maur.* T. VI. *col.* 581. Lectio *Codicis* proba. Vide et *Cod.* CCLXXXIII.

VI. *fol.* 111. p. 2. *Incipit ſermo auguſtini aurelii de ſymbulo contra iudęos.* Sermonem hunc inter *Auguſtinianos* et Aliorum alios non indiligenter quaeſitum minime reperi. Nihil in eo, quatenus extat, de *Judaeis;* mutilus enim eſt, ut ſub Codicis principium monui. Incipit vero: *Inter preſſuras atque anguſtias preſentis temporis etiam noſtre officio ſeruitutis cogimur dilectiſſimi non tacere.*